

GLORIA in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. **ADORAMUS TE.** Glorificamus te. **GRATIAS AGIMUS TIBI PROPTER MAGNAM GLORIAM TUAM.** Dómine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Dómine Fili unigénite, **JESU CHRISTE.** Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, **SUSCIPE DEPRECATIONEM NOSTRAM.** Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, **JESU CHRISTE.** Cum Sancto † Spíritu, in glória Dei Patris. Amen.

MUNDA cor meum ac lábia mea, omnipotens Deus, qui lábia Isaíæ Prophétæ cálculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratióne dignare mundare, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiare. Per Christum Dóminum nostrum. Amen. Jube, Dómine, benedicere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis: ut digne et competenter annúntiem Evangélium suum. Amen.

SUSCIPE, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hóstiam, quam ego indignus fámulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et neglentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christiánis vivis atque defunctis: ut mihi, et illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

OFFERIMUS tibi, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecantes cleméntiam: ut in conspéctu divínæ majestátis tuæ, pro nostra et totius mundi salute, cum odóre suavitátis ascéndat. Amen.

IN spíritu humiliátis et ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

VENI, sanctificátor omnipotens æterne Deus: et benedic hoc sacrificium, tuo sancto nómini præparátum.

SUSCIPE, sancta Trínitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memóriam passiónis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi, Dómini nostri: et in honórem beátæ Mariæ semper Vírginis, et beáti Joánis Baptístæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignetur in cœlis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eúndem Christum, Dóminum nostrum. Amen.

QUI pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis óculis in cœlum ad te Deum, Patrem suum omnipotentem, tibi grátias agens, benedixit, fregit, dedítque discipulis suis, dicens: Accípite et manducate ex hoc omnes.

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

SIMILI modo postquam cœnátum est, accípiens et hunc præclarum Cálicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi grátias agens, benedixit, dedítque discipulis suis, dicens: Accípite, et bíbite ex eo omnes.

HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI: MYSTERIUM FIDEI: QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Hæc quotiescúmque feceritis,
in mei memóriam faciétis.

CREDO in unum Deum. Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibílium omnium, et invisibílium Et in unum Dóminum **JESUM CHRISTUM,** Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. **ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: ET HOMO FACTUS EST.** Crucifixus étiam pro nobis: sub Póntio Pilato pássus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secúndum Scriptúras. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus est cum glória judicare vivos et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum, Dóminum, et vivificantem: qui ex Patre, Filióque procedit. Qui cum Patre et Filio **SIMUL ADORATUR,** et conglorificátur: qui locútus est per Prophétas. Et unam sanctam catholicam et apostólicam Ecclésiám. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspécto resurrectionem mortuórum. Et vitam † ventúri sæculi. Amen.

SUPPLICES te rogámus, omnipotens Deus: jube hæc perférri per manus sancti Angeli tui in sublíme altáre tuum, in conspéctu divínæ majestátis tuæ: ut, quotquot ex hac altáris participatióne sacrosánctum Fílii tui Corþus, et Sánquinem sumpsérimus, omni benedictiône cœlesti et grátia repleámur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

PLACEAT tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ: et præsta; ut sacrificium, quod óculis tuæ majestátis indignus obtuli, tibi sit acceptábile, mihi que et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum, Dóminum nostrum. Amen.